

כ ע ה
DISQUISITIONEM
PHILOLOGICAM,
DE

ד ר ה

Seu

EXCOMMUNICATIONE
HEBRÆORUM:

DIRIGENTE ALTISSIMO,
Indulgente & Suffragante,
Senatu Philosophico Amplissimo,

atq;

TUTANTE,

VIRO ADMODUM REVERENDO
& PRÆCELLENTISSIMO

Dn. M. TORSTANO RUDEEN,
Poësis Profess. Ord. Celeberrimo,

In illustri ad Auram Fennorum Musarum Palatio
horis solennibus,

V. Idus Julii, Anni a nato Christo
M. DCC. III.

Bonorum placide censurae exponet,

JOHANNES P. S. M. A. N. N. I. F.

Aboæ Excud. JOHANNES Winter / Reg. Typogr.

SUMME REVERENDO & AM-
PLISSIMO DOMINO.

Dn. D A V I D I
S U N D.

SS. Theologiae Doct: consummatissimo,
Ejusdem facultatis Profess. Ordin. & migera-
tissimo, Svecanae Aboensis & Nummenis Pa-
stori longe dignissimo, Utriusque Consi-
storii Assessori gravissimo.

Mæcenati, Domino & Avunculo ut pro-
pensissimo, ita summa semper reveren-
tia suscipiendo.

PLURIMUM REV. & PRÆCLA-
RISSIMO,

Dn. M. H A Q V I N O
T H E M M A N N.

Pastori in Wirno, & districtus adjacen-
tis Præposito dignissimo & accu-
ratissimo,

Patruo officiis humilimis. de-
venerando.



Vitam Longam

ADMODUM REVER: atq; PRÆCEL-
LENTISSIMO DOMINO.

Dn. M. I S A A C O
B Z H E M M A N N.

L. L. O: O: Prof. Ordinar: Celeberrimo,
Ecclesiz Fennicz, quæ Aboz est. Pastori longe
meritissimo, Utriusque Consistorii Asses-
sori æquissimo.

Parenti Optimo atque beni-
gnissimo,

Submissis filialibus obsequiis æternum
prosequendo.

SPECTATISSIMO ac ÆSTUMA-
TISSIMO.

Dn. J O H A N N I
B Z H E M M A N N.

Officinarum Metallicarum Præfesto &
Inspectori conspicuo &
insigni.

Patruo itidem devotis officiis
colendo,

cum multa felicitate

Hasce ingenii mei primitias, an Grand:
 Vestr: Nominibus dicare audeam, diu hesi-
 sitavi. Suasit quidem & iussit id recorda-
 tio vestrorum, in me, meritorum; Et quidem tui,
 Max. Rev. Dn. Doctor, insignis & nunquam sa-
 tis laudandi favoris & affectus: Tue Adm. Rev.
 & Honorat: Dn. Parens, maxime & plus quam
 paternæ curæ & protectionis, mihi non solum esse,
 sed & quod magis, bene esse dantis: Vest: v. Pa-
 trui optimi plurimorum & eximiorum beneficio-
 rum. Quæ cum condignè predicare nequeam, ta-
 cito apud me silentio colere & mirari nunquam
 desinam. Dissuasit idem indignitas operis: sed addi-
 dit interea calcar, meq; titubantem erexit, insi-
 gnis vestra erga me gratia, quum insuper quoq;
 satis scirem, nemini magis meas res cordi esse;
 nullosq; de meis, si qui futuri sint, progressibus
 plus gavisuros. Hunc itaq; immaturum ingenii
 foetum humilima & filiali veneratione in sinum
 vestrum Dn. summe colendi collocatum benigne
 suscipite: Permittite ut splendorem a vestris no-
 minibus accipiat. Ego semper supplex supremum
 rogabo Numen, velit vos in seram usq; & lon-
 gam senectutem salvos & incolumes servare, in
 grande decus Patriæ, Ecclesiæ atq; Reipub: insignia
 columnina, Nobiliss. familiarum meique Tutamen.
 Vester

Summe Rev: Dn. Doctor Avuncule,
 Admod: Rev. & Honoratiss. Parens,
 Plur: Rev. & Spectatiss Dn. Patru.

humilimus & obsequentissimus. Client & Filius
 JOH. P. S. L. M. A. N. I. E.

Juveni
Optimæ spei, Honestissimorum morum, &
elegantissimæ eruditionis,

Dn. IOHANNI
PIHLMANNI

Cum Judæorum modos excommunicandi vulgaret.

Evomuit quoties verpos
Synagoga nocentes,
Quotque iterum admisit
conciliata modis;
Si quis adhuc nescis, Pihlman-
ni hæc otia lustra:
Et quæ te instituent, aut ego
fallor, erunt.
Interea, felix Juvenis, candore
Parentem,
Ceu studiis pergis, pergere re-
ferre Tuum.

Manu amicâ, sed festinâ valde, adplaudet.
TORST. RUDEEN.

Natalium & Eruditionis

praestantia

INSIGNITER CLARO *αἰετῶ* CONSPICUO

Dn. JOHANNI

WILHELMO /

Affini & Fautori hono-
rando.

Ως ἀρετῆ καλλιῶτον ἐν ἀνθρώποισιν ἄεθλον,
Ἔστι Δέον Σε Φάναι, ἔλθειον αἰετῶ
ἔμειν.

Τύνη ἐπισταμένως αὐτῆς γὰρ ἐησθε διώκῃς
καὶ καθαρῶς. Διὰ τῶν ἑσθλῶν ἅπαντα
Φερῆς.

L. M. q; gratulatur

ERICUS CAJANUS.



ברוך יהוה אלהים אלהי ישראל עשה
נפלאות לברו: וברוך שם כבודו לעולם
וּמְלֵא כְבוֹדוֹ אֶת כָּל הָאָרֶץ אָמֵן וְאָמֵן:

CAPUT PRIMUM.

Particula Prima,



Ramio & poena Rempu-
blicam, ubi modo vir-
tus cum æquitate flo-
rebunt, contineri, esse
satum est non minus
sapient, quam jure Di-
vino & humano optimè suffultum. Ec-
enim postquam homines, antea sine im-
perio, sine legibus, soluti & liberi, pro-
pter societatis appetentiam, libera volun-
tate, in unam gentem coiere, voluntas eo-
rum, quæ pro lubitu in Moralibus agere
vel non agere potest, pactis & statutis
maxime constringitur, dum sc. jam præ-
stare tenentur mortales, quod antea in ar-
bitrio suo erat, facere an omittere vel-
lent,

lent, & ex notitiis suæ naturæ à creatore impressis sciunt, se obligari ad exequenda mandata superioris, cui fidelitatem & obedientiam promiserunt, ubi quid velit, quidve boni voluntati ejus parentes, mali vero renitentes maneat, significaverit; nec aliquam valere excusationem, si contra eam peccando pœnarum asperitatem in se iritent, cum ultro in id consenserint. Sic injustum & juri naturali repugnans non est, hominem homini pœnas dare, etsi natura omnes æquales constituerit, iniquumque alias & immane forte videatur, quod homo hominem affligat vel perdat; Equidem ipsa salus humani generis, constituto imperio, æqualitatem tolli, tantaque hominum malitia & recti averfatio, repræsentationem alicujus mali, quo pravi & immorigeri in ordinem redigantur & in melius emendentur, maxime postulat & requirit. Cujusmodi & mente voluisse videtur Socrates, dum apud Plat. Gorg. hæc protulit. Injustus miserior est, si injuriarum pœnas nunquam luat, minus v. miser, si luat, supplicium quod justum diis hominibusque reportet. Deus O. Maximus itidem præterquam quod in sa-
 cræ

erz scriptura plurimis locis expresse iubeat, premia bonis dari, immo ingeris vero pœnas infligi, in gente Israelitica, quam præ aliis omnibus ex singulari beneplacito, in suum peculium elegit, & cuius salutis maximam egit curam. premia bene & pœnas malè gentibus per ministros suos fati-
xit, quæ erant vel *Civiles*, eæque aut *Capitales*, utpote lapidatio, ustio, interemptio, strangulatio, ob peccata majora, aut *non Capitales*, ut Incarceratio, Restitutio, Talio, Exilium, Flagellatio, ob minora, infligenda: vel *Ecclesiastica*, ut separationes a cœru, propter profluvia seminis, lepram &c. quibus postea adjiciebatur Excommunicatio.

Part. II.

DE hac ultima mihi jam agendum pro-
posui, sed antequam ulterius ad hujus
materiæ enodationem progredior, con-
sultum duco hanc ceu generalem quæstio-
nem præmittere, *Num Excommunicatio*, de
qua jam disquirere animus est, *sit pœna Eccle-
siastica, an vero Civilis?* Priori classi po-
tiori jure accensendam censeo ob sequen-
tes rationes. Quandoquidem (N) sæpissi-
mè in Scriptura Sacra clara & distincta in-

jicitur mentio Magistratus *Civilis & Eccle-*
siaſtici: ejus (scilicet ut ea curet, quæ Civilia
 sunt & ad Reipublicæ conſervationem atti-
 nent, *hujus* ut curam gerat animarum, &
 de ministerio ſacro ſollicitus ſit. Ex. gr.
 2. Chron. 19: 11. אמריהו כהן הראש עליכם
 לכל דבר יהוה וזכריהו בן - ישמעאל הנגיד
 לבית - יהודה לכל דבר - המלך
Amarjab
Sacerdos caput (erit) super vos, quoad o-
mnem causam JEHOVÆ; Sebadjah ve-
ro, filius Fiſchmaëlis, dux domui Jebude,
quoad omnem causam Regis. Matth. 21: 23.
 Eis τὸ ἱερόν προσήλθον οἱ Ἀρχιερεῖς καὶ οἱ Πρεσ-
 βύτεροι ἔλαβ. In Templum acceſſerunt prin-
 cipes Sacerdotum i. e. personæ Ecclesiaſti-
 cæ, & Seniores populi i. e. personæ civilis,
 & Act. 20: 28. Προσέχετε ἑν ἑαυτοῖς, καὶ παντὶ
 τῷ ποιμένῳ, ἐν ᾧ ὑμᾶς τὸ Πνεῦμα τὸ Ἅγιον ἔθετο
 Ἐπισκόπος, ποιμαίνει τὴν ἐκκλησίαν ἑ̅ Θεῷ.
Attendite ergo vobis ipsis, & toti gregi, in
quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopus,
ad pascendum Ecclesiam Dei. Atque (ב)
 Excommunicatio circa salutem hominum
 æternam, quæ sparsa ad Ecclesiaſticos per-
 tinet, occuparetur, sic enim ait Divus Apo-
 stolus Paulus (α) Ἐγὼ ἤδη κέκερκα ἐν τῷ ὀ-
 νόματι

(α) 1. Cor. 5: 4. & 5.

νόματι τῆς Κυρίας ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, συναχθέντων ὑμῶν καὶ τῆς ἐμῆς πνεύματος, σὺν τῇ δυνάμει τῆς Κυρίας ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἵνα ἀδύνατον τὸν τοιοῦτον τῷ Σατανᾷ εἰς ὄλεθρον τῆς σαρκὸς, ἵνα τὸ πνεῦμα σωθῆναι ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῆς Κυρίας Ἰησοῦ. *Ego jam iudicavi in nomine Domini nostri Jesu Christi, cum congregati fueritis vos, & spiritus meus, cum potestate Domini nostri Jesu Christi, tradere talem (sc. incestuosum) Satana in perditionem carnis, ut spiritus salvetur in die Domini Jesu. Nec conjuncta fuit cum interitu peccantis corporali, ut politica pœna, sed manifestos & obstinatos peccatores, cum post admonitiones fraternas & caritatem Christianam decedentes, non resipiscerent, à communionem ecclesiæ & sacramentorum excludit, ut hac ratione pudore suffusi & territi emendentur & scelera vitent. (3) Dum Salvator ipse discipulos suos, propter confessionem nominis sui, mala passuros prædicit, non quidem ait *ejecturi sunt vos ex Synagogis*, sed *facturi sunt vos Ἀποσυαγάγας*, i.e. Præsides Synagogæ, qui de doctrina procul dubio debuerunt esse solliciti & præcavere Ecclesiæ à Schismatibus, vos ex Synagogis suis sunt ejecturi, & a consortio atque*

coetu suo instar maleficorum & Hæreticorum exclusuri. Tutò itaque satis concludere possum Excommunicationem & olim fuisse pœnam Ecclesiasticam, licet quandoque obstinatis scilicet & immorigeris, infligatur à ministerio Ecclesiastico ex arbitrio Magistratus Civilis.

Part: III.

Delicatoribus ingeniis, quamvis satis displicere sciam, Methodum, quæ ab originatione vocum in dissertationibus initium capit, licet monente Cicerone bene examinata notatione nominis, melius nobis constet de indole & natura ejus rei, de qua disquirimus, paucis tamen de *ἐτυμολογία* vocis opellæ huic præfixæ agam. Petit autem vox **אָרַד** sua initia à Rad. apud Hebræos in Kal deperdita, apud filias Arabicam & Æthiopicam tamen superstite, *severe prohibitzum*, vel *illicitum fuit*, denotante, à qua in hiphil fit **אָרַדְתִּי** *Anathematizavit*, *Excommunicavit*, *Anathemati*, *internecioni aut excidio vel perditioni devovit*, *consecravit*, *devotum fecit*, *disperdidit*, *excidit*.

excidit, morti addixit, viva interfecit, devastavit, & hinc nomen Ⲁⲓⲛⲉ *Anathema*, devotio, Excommunicatio, exclusio à sacro coetu, ejectione ex Synagoga cum maledictionibus & diris, Iecircò idem significat, quod apud Hebræos להכריח מן הקהל *separare ab Ecclesia, seu Coetu*, Græcos ἐξβάλλειν ἔξω *ejicere foras*, ἀποσυνάγωγον ποιῆν *extra Synagogam facere seu ponere i. e. à Synagoga excludere*. ἀφορίζειν *separare* καταθεματίζειν *anathematizare*. Latinos *excommunicatio, suspensio*. Suecos *Bannlys / uthsluta ifrån Församlingens gemenskap*. Fennos *Pannaan panna*. Germanos *in den Bann thun*.

Part: IV.

DE ἑτυμολογία & συνωνυμία. vocis Ⲁⲓⲛⲉ ex dictis satis constat. succedit jam ponderanda ὁμωνυμία, quæ ut plurimum esse solet mater errorum, itaque ne quis per eam seductus à tramite veritatis declinet, in antecessum sciat, sermonem heic non esse (N) de admonitione & adhortatione aliqua privata & particulari, quâ hic vel ille ab amico suo, vela-

illis quorum interest ejus curam habere, monetur, quinimo minis terretur, ut ab illis criminibus, quibus antea inquinatus fuerat, earumque personarum consortio, quibus usus est hactenus amicis, omnino abstineat, & ab earum cœtu se porro separet, si modo vitare velit incommoda, impiam vitam perversosque mores comitantia & consequentia. Non (2) de exclusione alicujus e cœtu & ejus privilegiis, in cujus communionem ne receptus quidem adhuc fuerat, ut in Vet. Testamento perigrinis incircumcisis celebrationi agni Paschalis interesse non licuit, & in Nov. Fœdere non Baptizati & Catechumeni à communionem S. cœnæ arcentur. Non (3) de exclusionem & separationem ad tempus, à cœtu & jure communi jam acquisito, propter abominationem impuritatis alicujus corporalis, in scriptura à Deo expressè mandatâ, ut factum est olim in gente Israelitica cum leprosis, scabiosis & aliis similibus. Non (4) De simplici quavis maledictione, & execratione, qua aliqui se adstrigunt ad hoc vel illud faciendum aut omittendum.

Cujus

Cujusmodi erat illa in monte Ebal & Gerisim facta Deut. 27. & conspiratio adversus Paulum: de qua Actor. 23: 12: Ποιήσαντες τινες τῶν Ἰσθαίων συστροφὴν, ἀνεθεμάτισαν ἑαυτοὺς λέγοντες μὴτε Φαγεῖν μὴτε πίνειν ἕως ἂν ἀποκτείνωσι τὸν Παῦλον. *Fecerunt quidam Judeorum conspirationem, & devoverunt seipsos dicentes, non comesturos neq; bibituros, donec occidissent Paulum, qualis forte etiam hodie apud male sanos obtinet.* Non (7) de donario rebus aut viventibus Numini in sacros usus dedicatis vel plane etiam internecioni devotis Levit. 27. Non denique (1) de totali exclusione è communione pristina & omnibus ejus privilegiis ac immunitatibus, per carcerem, exilium, vitæ ultimum supplicium & חַרְבַּת seu excisionem per manum Dei infligendam. Scilicet & hæc Excommunicationis nomine aliquando veniunt apud Doctores, quamvis in hisce nec Personæ Excommunicatæ aliqua oriatur nova conditio, aut status inter suos in deterius mutatio, nec tanta dirarum & execrationum copia, nec omnes Excommunicationis, de qua nunc dicendum, competant affectiones. Sed de Ex-
commu-

communicatione pœnali Ecclesiastica, quæ est, personæ alicujus noxiæ ob violatum aliquod præceptum, è cætu suo antiquo & ejus juribus, vel in respectu ad omnes, vel ad aliquos, ad certum & determinatum tempus, & certos limites, cum diris & execrationibus, pro ratione delicti, levior vel gravior, à Magistratu Ecclesiastico, loco pœnæ imposita, exclusio & separatio: insequente tamen absolute & ad pristinum statum restitutione, si sors ad meliorem redierit mentem atque pœnitentiam egerit.

CAPUT SECUNDUM.

Particula Prima.

Breviter pro modulo ingenii expositis hisce generalioribus, jam ut aliqua de Excommunicatione in specie & variis ejus gradibus dicam, ordo instituti postulat. In hisce autem constituendis unanimes non sunt Eruditi: Quibusdam acriter contendentibus Duas tantum fuisse Excommunicationis species, seu gradus נרדו & הרם. שמתא verò, quod aliis tertium constituit gradum, eundem cum Niddui esse. Inter quos est Maimonides

des qui sic scribit i. e. פלוני יהיה כשמתה N. sit in schamatha i. e. Niddui & Cl. Seldenus qui (β) multis in hac sententia defendenda est occupatus, certe non secus ac si pro aris & facie pugnandum esset. Alii vero asserunt tres excommunicationis gradus נרין, שמתה & חרם quod placet Rab; Abraham ben David. (γ) Non dicunt aut dicere debent: sit in Schamata (cum scilicet prima Excommunicationis fertur sententia) quoniam hæc gravior multo est quam Niddui. Sed dicendum; in Niddui sit. Et si visum fuerit Synedrio seu præfecturæ judicæ ob peccati ejus magnitudinem, graviolem inferre sententiam, dicunt tunc, maledictus sit, & faciunt eum reum Schamatha, in qua habetur & Niddui & maledictio. Cum eo facit Ligtfoot, quem vide (δ) si placet. Eundem tuctur numerum R. Elias Levita, ordine tamen inverso, secundo sc. loco ponit חרם tertio שמתה dum sic inquit: Tres sunt species anathematum sive excommunicationum, Niddui, Cherem & Schamatha. Niddui profligationem significat. Ubi vero quis non respiscit, hunc anathematizant, quod vocatur Cherem
ab

(β) de Synedriis. lib. 1. cap. 7.

(γ) apud Jacob Ben. Asker in Tore Dea cap. 334.

(δ) in Horis Hebr. Talmud. ad 1. Cor. 5.

ab eo quod penetrat in 248. membra ejus. Quod si adhuc non poenitentiam egit, eo genere anathematis seu excommunicationis, quod ו Schamatha nuncupatur, eum devovent. Et exponitur נחמ ו Schamatha per נחמ ו, id est, ibi mors, quae absit à nobis. Cui consoni sunt R. Gersom, his verbis. In anathema devoveatur seu excommunicati statum subeat alienus (scil. literas resignans præter eum ad quem scribuntur) per Niddus, per Cherem, Schamatha. Schindlerus, Buxtorfii P. & F. Bertramus, David de pomis, Capellus, Constant. L'Empereur, Quenstedius, Pfeifferus, Leusdenius, Drusius & cæteri plurimi. Eos qui plures admittunt Excommunicationis gradus, volens prætereo, quum infirmo adeo innitantur talo, ut eorum sententia iam dudum sit explosa. Meam in illo numero & varietate Doctorum si requisieris mentem, fateor ultimam suspicionem mihi potissimum arridere.

Part. II.

AD ulteriorem sequentium pagellarum Illustrationem quum faciat, expedit hic paucissimis demonstrare quomodo lata fuerit hæc Excommunicationis sententia.

Fere

Ferebatur ea, vel ab **IPSIS REIS** per **INSOMNIUM**, quando quis in somniis vide-
 rat se, vel à persona aliqua singulari nota
 seu ignota, vel à foro excommunicari:
 Siquidem Somniorum maxima omnino
 penes Hebræos erat autoritas, per quæ
 etiam revelationes propheticae & visiones
 non raro factæ sunt, ut ex sacris literis con-
 stat, putabant hanc Excommunicationem
 fieri ex mandato Dei, per internuncium à
 Deo missum. Vel ab **ALIIS VIGILANTIBUS**,
 Dum se: vel à foro seu Synedrio personæ
 cuiusdam **כפניו** *in facie, coram* i. e. præsentis
 vel **כפניו לא** *non coram* i. e. absentis impo-
 nebatur pœna excommunicationis, quæ
 etiam Scheda publicari solebat. Hic Ex-
 communicandus vocabatur primo in judi-
 cium à Ministro publico, quem si contemp-
 sit, etiam eo nomine excommunicabatur.
 Audiamus quid in hanc rem extet in Sul-
 chan Aruch (ε) Nuncius vel minister publicus
 iudicii ea fide habetur, ut, si dicat, N. à me citatus
 ad iudicium, contempsit me, aut vilipendit iudi-
 cem, aut dixit se nolle comparere in iudicio, tunc
 Schamatizant ipsum ad verba ejus &c. Vel
 à persona aliqua singulari & privata in
 alium,

(ε) *parte Chosen Hammischnat, num. 11. sect. 1,*

alium, aut a quopiam in seipsum irrogabatur pœna Excommunicationis. Hanc particularem Excomm. tamen semper præcedere solebat *נִיפָה* increpatio quam fundari volunt veteres Judai in lege illa, Sacra (ז) *וְחִיבָה תוֹכַח אֶת עֲצוּמֹתָי* i. e. *corripiendo corripies proximum eum* peccantem. Ubi præcipi dicunt, quod, si in rebus ad communis vitæ rationem pertinentibus, quis contra proximum suum peccaret, corripendus esset ab eo semel, bis, imo ter, prout res postulare; unde forte & hoc eorum præceptum: *pudescens proximum suum, fors deerit in futuro seculo.* Fiebat autem hæc SOLENNI POMPA ET RITU. Convocatâ & congregatâ quippe totâ Synagoga & universo cœtu, ad maiorem tum reis tum cœtui horrorem & terrorem incutiendum, in Synagogis cœperunt cornua & tubas inflare, post in medium producto peccatore, ejus crimina enumerabant, atq; deinde diris devotebant, & a consortio suo excludebant eum. Cujus ritus clara cernuntur vestigia in Pirke R. Eliazer, Ubi de Elra, Zeru-
babele,

babele, & Josua ben Jozadec Pontifice Maximo legitur, Congregaverunt totam ecclesiam seu cœtum populi in templum Domini, & introduxerunt CCC. sacerdotes, & CCC. pueros, quibus erant in manibus CCC. buccinæ & CCC. libri legis. Hi clangebant, cantantibus interea & psallentibus Levitis, & excommunicabant Judæos per mysterium nominis Tetragrammati &c. Nec est quod miremur tot in *publica* Excommunicatione adhibitas buccinas, cum in *simplici* ab uno Magistro, idque extra forum Excom: denuntiariâ, quadringentas adhibitas fuisse, apud Talmudd, cui volupe fuerit observare possit, sanhedrin (1) Produxit (R. Josua ben Perechia) quadringentas buccinas & Schamattizavit Jesum.

Part. III.

EXordiar jam à *prima* seu *minima* Excom. *pœna*, quæ pronunciabatur, aut דם לכל סתם *simpliciter respectu omnium hominum*, totius sc. cœtus Synagoga aut Republicæ aut מן צדד *ex parte* seu respectu certarum personarum, ita ut quis huic vel illi esset pro excommunicato habendus, non item alii; in quotidianis
enim

(1) fol. 107. 2. in edit. veneta.

enim confabulationibus, conviviis, vel aliis conventibus, si contra præceptas regulas quid commisisset aliquis, socio ejus licuit eum in Excommunicationis redigere statum: ad hujusmodi autem Excommunicatum omnia Excom: incommoda non pertinebant. Hoc modo Excommunicatus a Magistro, Exc: etiam erat discipulo; Excom. vero discipulo non habebatur excom: Magistro: Urbi suæ Excom. etiam erat alii urbi Excom: Alii v. Exc. non item suæ: Principi Excom. etiam Republicæ erat excom: Reipublæ Excom. non item Principi: de quibus plura in Talmude, & gemara Hieros. ubi etiam hæc. Quoniam universis non est excommunicatus, ideo omnia excommunicationis incommoda ad eum non attinent, licet interea mos sit ut homines eum à se arceant, ut scilicet pudore eum suffundant. Atq; appellatur apud Rabb. נרדף, Græcè ἀφορισμός, quæ vox derivatur à rad. Chaldæa נרדף *recedit*, inde in Piel נרדף *procul removit, exclusit, ejecit, expulit, relegavit, abominatus est, separavit, segregavit, excommunicavit, exclusit à cœtu*: hinc נרדף *excommunicans* נרדף *excommunicatus, separatus à cœtu & נרדף remotio, excommunicatio, ejectio ex cœtu piorum, separatio à cœtu*

caeti ecclesie. Est autem כְּרִי levissima Ex-
 communicationis species vel gradus, seu
 quando quis, ob admissum peccatum (cu-
 jus eum post præviam admonitionem non
 pœnituit) immundus judicatus, ab homi-
 num contubernio, per 30 dies seu mensis
 spatium, ad quatuor cubitorum distantiam
 removetur & separatur, absque expressa
 maledictione: talis etenim tantummodò
 fuit formula Excommunicationis. פְּלוּי
 כְּרִי בְּשֵׁמֶתָא *N. sit in Niddui in Scha-*
matha. Siquidem pro una specie interdum
 habeatur. *N. sit excommunicatus, separatus.*
Nos in Niddui ponimus N. N. sit in excommunica-
tione. Ubi ignorabatur excommunicandi
 nomen sic dicebatur: *Homo ille sit in Sba-*
matha seu excommunicatione.

Part. IV.

Monstrata originatione vocis כְּרִי, ad
 enumerationem causarum progredi-
 or. Cum v. ex sana ratione constet, nihil
 lege sanciri posse, ni prius persona, quæ ei
 parebit, existat, quid enim lege opus est,
 dum nullus quicquam ei congruum vel
 contrarium agit? è re esse duco, ut primo
personas, postea causas & statum describam:

Ex Scriptis Rabb. unde omnis hac de re nobis haurienda est notitia, in propatulo est, Excommunicatos fuisse omnes inordinate ambulantes, i. e. qui ratione externæ professionis & nominatenus solum essent membra Synagogæ, moribus vero & vita aliud declararent, sive opulenti, sive pauperes, viri seu mulieres, cujuscunque demum sexus, status & conditionis homines. Exemptos tamen hac lege ut plurimum habere Doctores ob reverentiam legis, nisi forte Idololatriâ manifestâ & horrendâ, caput obstrinxerint, quos alias potius puniendos voluere flagellatione, cujus ignominia, præcipuè cum privatim, non in publico fieret, multo minor excommunicatione tot diris & incommodis onusta habebatur. Maimonides (9) Sapientem, Principem vel Præsidentem judicii, qui nefandum quid commiserit, non excommunicant publice unquam. i. e. non proclamant vel promulgant in cœtu Synagogæ ejus excom. sed privatim, nisi deliquerit ut Jeroboam filius Nevat & socii ejus. Si alia quedam delicta commiserit, flagellant eum secreto, i. e. clam, privatim. Dicunt autem ipsi: frui tor honore tuo, & confide do-

(9) in lib. 370 p. 1.

fili tuæ. Sic omnis discipulus sapientis i. e. Doctor,
 qui dignus est Excommunicatione. Prohibitum est
 iudicibus proflire & statim ipsum excommuni-
 care, sed fugiunt ab hac causa & ab ea decli-
 nant. Nam probiores sapientum applaudebant
 sibi, quod nunquam ipsi esset impositum ex-
 communicare sapientem, etsi quandoq; ad fla-
 gella eum iudicariint, si promeritus fuisset.
 Nec rite potuit filius excommunicare pa-
 rentes, nec servus Dominos suos, quia supe-
 riores erant & Dominium in illos habuere.
 Juvat & hic in memoriam revocasse, quos-
 dam tamen sapientes & legis peritos etiam
 hoc supplicio affectos fuisse, licet Rabb. ali-
 quot, præcipuè Maimonides id plane ne-
 gent: Sic enim scribitur in Moed Katon
 (1) Mar Sutra sanctus quando insignis Rabbi
 meruit excommunicationem, ipse seipsum pri-
 mo schematizabat, postea schematizabat i-
 psum. Reversus in hospitium, solvit primum
 seipsum ex anathemate, deinde solvit alte-
 rum istum & in libro נדרים: Erat qui-
 dam sapiens, de quo odiosus sparsus erat rumor;
 dixit R. Jehuda: quomodo ipsi faciendum?
 Schematizare debent eum Rabbin. Nisi Schematizarent eum, prophansbitur nomen DEI.
 Etsi id Hierosolymis & in Palæstina non
 usu venerit, quod & nos concedimus. Ve-
 nuste.

nuſtè Raf. Papa: utinam mihi eveniat ne unquam cogar ſchamatizare ſapientem. Quod ſi autem neceſſe ſit ſchamatizari aliquem ſapientem, quid faciendum? faciendum ut in occidente, ubi ſapientes adjudicantur ad flagellationem, & non diſponuntur ad ſchamatha.

Part. V.

Memor promiſſi jam ad conſiderationem *cauſarum* deſcendo; ſiquidem etiam in delinquentem, juſtam ferri non poſſe ſententiam, antequam de delicto innouit, vel parum in rebus forenſibus verſato, meridiana luce clarius ſit. Fuere eæ plurimæ, pro arbitrio Principum Synedrui, delicta ſc. vel legi Sacræ vel bonis receptisque moribus contraria. Neminem tamen propter contractum æ alienum Excommunicarunt, niſi prius nomine Judicii ter fuerit monitus, die nimirum ſecundo ſeptimanæ, die quinto, & ruruſ die ſecundo ſeptimanæ ſequentis, qui dies ſunt ſemiſacri. Potiſſimum autem apud Talmudicos & Rabb. viginti quatuor enumerantur cauſæ, ut cernere licet in Berach (κ) In viginti quatuor locis (i. e. propter 24. cauſas) iudices excommunicant & in Talmude על עשרים וארבעה דברים

(κ) fol. 19. col. 1.

ⲓⲛⲓⲛⲓ ⲛⲓⲛⲓⲛⲓ *Propter viginti quatuor causas excommunicant.* Sunt autem hæ sequentes. Si quis

1. Contumelia afficit sapientem, etiam post mortem ejus.
2. Contumelia afficit ministrum fori publicum.
3. Vocat proximum suum (liberæ se. conditionis) servum.
4. In forum evocatus, ad diem præfixum non venit.
5. Spernit verba scribarum, vel quod magis, legis Mosaicæ.
6. Latæ sententiæ Judicis non obtemperat.
7. Noxium quid in sua potestate habet, & illud non removet, veluti canem rabiosum vel mordacem, aut scalam fragilem & similia.
8. Vendit agrum suum Christiano aut gentili cuivis.
9. Testimonium perhibet contra Israelitam in judiciis Gentilium.
10. Si Sacerdos mactator non separat dona mactationis, aut non dat ea Sacerdoti alii.
11. Si quis prophanat diem feriatum secundum

cum in captivitate, etiam si illud ex consuetudine sit.

12. Facit opera vesperâ paschatis post meridiem.
13. Commemorat nomen Dei frustra, aut per juramentum vanum.
14. Adducit alios ad profanationem Nominis Divini.
15. Adducit alios ad esum rerum sacrarum extra templum sanctum.
16. Supputat annos, & figit menses extra terram Israelis, i.e. Calendaria scribit.
17. Labi facit cœcum.
18. Retardat alios à faciendo legis opere.
19. Mactationem facit profanam sua culpa.
20. Si Mactator non ostendit cultrum coram sapiente, ut sc: constet, eum legitimum esse, & non vitiosum.
21. Difficilem se præbet ad sciendum vel discendum.
22. Si quis repudiavit uxorem suam, & postea instituit cum ea commercia emptio- nis & venditionis, quibus adducitur ad rem carnalem cum ea habendam.
23. Si sit sapiens malæ famæ & Existima- tionis.

24. Si quis excommunicet eum, qui non est meritis excommunicationem.

Part. VI.

CAusas habuimus, nunc *statum* taliter puniti conspiciendum dabo. Hunc sic averfabantur pudoris & poenae gratia, ut eum non admitterent in suam societatem, sed à confessu tam sacro, quam profano, politico & domestico, cibo & potu, ad quatuor usque passus seu cubitos per dies triginta removerent & separarent. A consortio uxoris, liberorum, aliorumque domesticorum tamen non erat separatus. Non receperunt eum in confessum ordinarium decem personarum, nec potuit constituere numerum apud Judæos solennem seu denarium, ubi ejusmodi necessarius erat, nec dignus censebatur qui convivio trium interesset, ejus filium nemo circumcidit: de hisce omnibus sic extat in Sepher Sulchan Aruch. Si ita visum esset foro, licuit interdici ei, ne convivio trium interesset, nec cum decem oraret, nec si mortuum haberet, quis eum sepeliret, nec si filiam, eum quis circumcideret. Non debuit se tondere vel lavare, quod ea propter factum esse opinor, ut, vel eo horribilior

eius videretur conditio, quando ad instar
 feræ bestię pilis & unguibus undiquaque
 tectus viveret, vel instar lugentis esset,
 quasi propter sua delicta in maximo dolore
 & mœrore constitutus, quos semet nec
 totondisse, nec lavasse, ex placitis Hebræo-
 rum constat. Potuit tamen conducere
 sibi servos & ab aliis conduci, alios docere
 & vicissim ab aliis doceri, conventus sacros
 visitare & precibus communibus interesse,
 ac subaudita semper lege remotionis ad
 quatuor cubitos. Unde sane mirari subit,
 quosdam pertinaciter statuere Excom. à
 sacris exclusos fuisse, atque falsa patrocinia
 istius sententię quærere, cum in aprico sit
 ex Talmud. Excom. sacris interfuisse, &
 per portam templi sinistram, non ob-
 velato ore, ut ab aliis dignoscerentur
 intrasse. In hanc rem sic habet Middoth.
 (λ) Quicumq; ingrediebantur templum, ingre-
 diebantur per viam ad dextram, & circumeun-
 tes egrediebantur per viam ad sinistrã, excepto eo,
 cui obvenerat casus aliquis, ut teneretur versus si-
 nistram ingredi, cui dicebant: quare ingrederis
 ad sinistram? Quia lugens sum. Respondebant:
 qui inhabitat hanc domum, consoletur te. Quia

ex

excommunicatus sum: [dicebant] Qui inhabitat hanc domum, indat animo tuo, ut obtemperes verbis faciorum tuorum, & restituant te. Plura de hisce, qui desiderat, habebit in Pirke R. Elieferis. Si vero quis tempore hujus excommunicationis absque pœnitentia ex hac vita decessisset, talem nec luctu, nec solenni planctu, ut alios mortuos desseverunt, nec funus ejus comitati sunt ad sepulchrum, nec in communi cœmiterio terræ mandarunt, sed omni sepulturæ honore caruit, & quam primum cum humarint, miserunt iudices aliquot ministrorum suorum, qui tumulum ejus lapidarent, eo nempe innuentes, hunc, ob impiam & perversissimam suam contumaciam, qua in peccato perseveravit & non resipuit, pœna lapidationis dignum fuisse. De hoc more lapidandi tumulum, non convenit inter Talmudd. an nimirum grande aliquod taxum, vel an lapidum cumulus esset sepulchro hujus imponendus; Sic enim Gemara Hieros. Ubi quis excommunicatus moritur in excommunicatione sua, forum lapidat ejus tumulum, unde discas oportet cujus libet excommunicati, qui mortuus fuerit, tumulum esse lapidandum.

Et liber Berachot (μ) Excommunicatus moriens in excommunicatione sua, domus iudicii lapidant feretrum ejus. & alibi: Excommunicatus si moriatur, iudices lapidant arcam ejus. At Gem. Babil. Id quod de lapidatione dicitur, ex sententia R. Jehudæ non ita intelligendum est, saxorum cumulum super eum congeri, instar cumuli Achan. Sed ex jussu forensi relinquitur super tumulum ejus saxum grande, ut inde discas, oportere cujuslibet Excommunicati tumulum esse lapidandum.

Part. VII.

DElineationem status Excommunicati excipit *Duratio*. Manebat hæc pro diversitate peccati, delinquentis moribus, & iudicis arbitrio, per tempus longius vel brevius, ut plurimum tamen & ordinarie per dies 30. ut habet Gem. Excommunicatio non fit in tempus minus quam dies triginta. qui etiam quandoque pœnitentiæ & deprecatione decurtabantur, nempe, si excommunicatus synedrio se innocentem esse, nec id, quæ propter accusatus erat, se commisisse, ostendere posset. Intra hoc temporis spatium expectabatur ejus pœnitentia cum obsequio,

si vero ad bonam mentem non rediret, sed susque deque habita poena Excommunicationis in sua contumacia maneret, duplicabatur terminus temporis ad dies 60. nonnunquam triplicabatur ad 90 dies: si nec tum resipisceret, majori & graviori Excommun: specie seu $\tau\tilde{\omega}$ דרם puniebatur.

Part. VIII.

Superest, ut ad ultimum membrum Descriptionis hujus speciei, *absolutionem* puta, quæ Hebræis הַפְּרָה dicitur, perveniam. Excommunicatus eis, qui absolutionis actui præerant, indicans, quod se facti ex animo pœniteat, & promittens, se in posterum præcepta eorum non transgressurum, sed quidquid ei injungeretur præstiturum, absolvebatur. Sicuti vero duplici modo ut dictum est ferebatur Excom. sententia, per *insomnium* & a *Vigilantibus*, ita etiam diversa earum erat absolutio. De illa primo dicendum. Existimabant hoc Excom. genus à Deo esse immissum, itaque ob reverentiam Majestatis Divinæ, quæ hic quasi persona absolvens spectabatur, ordinariam

riam absolutionem admittendam non censebant. Absolvebatur sic Excom, non ut alii, à synedrio, præfecturâ aliquâ juridicâ, Principe aut Triumviris, sed à Decemviris in lege & doctrina Talmudica Peritissimis, ut patet ex Gem, Babyl. ubi omnia ad hanc pertinentia rite describuntur. Sic ibi: Si quis per insomnium positus sit in Niddai, oportet is absolvatur à decemviris. Interdum limitabatur hæc lex, quando nimirum ejusmodi decemviri in legis doctrina versati non inveniebantur, quomodo autem alios in horum elegerint locum, optime & ad oculos monstrat Maimonides, dum in Talmud Thora sic fatur. (v) Quando per insomnium quis excommunicatur, etiamsi notus esset qui excommunicare visus est, oportet ut decem viri aliqui Talmudicæ doctrinæ periti eum absolvant, quos si non facile repererit, laborandum est ut reperiat decem viros ejusmodi, per spatium aut circuitum PARASHÆ i. e. 4000 passus, quos si nec sic repererit, absolvi poterit à totidem in Pentateucho peritis, quos si nec sic repererit, absolvi poterit à quibusvis aliis decem, etiamsi legendi fuerint ignari; At denum si ita nec decem potuerit nancisci, legitime à triumviris absolvitur. In absolutione
à vigi

(v) cap. 7. ubi vide Cesepl. Misn.

à *Vigilantibus* excommunicatorum hoc modo procedebatur. Quicumque aliquem excommunicavit, sive fuerit persona singularis, sive Synedrium aut Præfectura alia aliqua juridica, potuit etiam eum absolvere. Illi à personâ singulari vel à Synedrio, excommunicato licuit eligere triumviros, quibus de ejus pœnitentia satis constaret, vel judicem unum quî Triumvirorum potestatem publice sapius sustineret, qui eum absolverent. A seipso Excom. non potuit seipsum absolvere, nisi esset discipulus sapientis seu eminentior in Theologiæ & Jurisprudentiæ studiis, sed debuit dimitti à Decemviris. Persona singularis, aut Synedrium, aut præfectura alia juridica, propter contumeliam in sapientem commissam, à se excommunicatum non potuerunt absolvere, invito eo cujus honoris læsi causa erat Excommunicatus; nam hic non spectabatur Decemvirorum aut Synedriorum jus ordinarium, potuit tamen id fieri illo mortuo, etiam à judice uno publicè constituto. Quî præsens erat excommunicatus, etiam præsens absolvebatur. Absens v. excomm.

potuit præsens & absens absolvi. Brevis a-
 erat ipsa Absolutionis formula, æquè ac ex-
 communicationis, talis: שררי לך ומחול לך
 i. e. *absolutio tibi est & res remittitur.* Ab-
 senti לו שררי לו ומחול לו i. e. *absolvi-
 tur N. & res ei remittitur.*

Part. IX.

Optimum hic esse illius controversiæ
 decidendæ locum existimo, quæ ex
 verbis aliquot Babylon. Moed: Katonis
 (ז) facile oriri posset: nimirum extant
 ibi hæc verba à R. Chasda prolata:
 Excommunicatio nostra (in Babylonia) est sicut
 correptio eorum (in terra Israelitica,) & in hanc
 rem adductum exemplum hoc. R. Simeon
 filius R. Judæ & Bar Kaphra sederunt legentes,
 eumq; difficillis nimis esset locus, quem legerunt,
 dixit R. Simeon ר"ב Bar Kaphra, opus hic est R.
 Interprete. Cui Bar Kaphra: & quidnam dicere
 hac in re potest Rabbi? abiit R. Sim. & Patri
 suo hoc dixit, qui ideo successit. Venit Bar
 Kaphra eum visitatum. Dixit ei: O Bar Kaphra,
 ego te non novi. Novit ille, quid sibi is vellet,
 subiit ergo correptionem triginta diebus.
 Ex aliis autem Talmud: locis scimus cor-
 reptionem durare tantum per septiduum;

Ita

(ז) fol. 61. 1.

Itaque ne ex improviso hæc cuiquam infir-
 ponant, hunc scrupulum eximendum re-
 or, indicando maximam omnino inter
 eas esse differentiam. Nam (N) Incre-
 patio hæc non habuit opus absolute, sicut
 Excommunicatio (S) Correptio, præcipue
 illa per septiduum, semper præcedebat
 Excommunicationem. (I) Quamvis se domi
 contineret ille, qui tali correptione erat
 ictus, nec in publicum prodiret, velut homo
 pudefactus, à societate tamen ejus non abstinuerunt
 alii. (7) Coram illo qui eum isto fulmi-
 ne percusserat, non comparuit nec in
 publico versatus est, cuius tamen ad
 eum domi se conferre licuit. De-
 scribit hanc correptionem egregie Cl.
 Lightfoot (o) unde nos jam mutuabimur.
 Correptio, inquit, est, cum vir illustris alium
 corrigit, dicens: quam impudens est N. vel al-
 quid istiusmodi: Conditio autem hominis
 ita correpti hæc est: Abscondit se, & domi
 continet ut pudefactus, ne faciem ejus videat,
 qui eum pudefecit, nec eorum eo stet aperto
 capite: Diminuat etiam de risu suo, & de ver-
 bis suis & de negotiis suis, & se contristet co-
 iram

(o) in Her. H. T. ad 1. Cor. V.

sam videntibus. At non opus est, ut ab hominibus se retrahat, quin cum iis comedat & bibat, & eos salutet. Nec opus habet absolutione; sed cum correptionem in se susceperit, tempusque excurrerit, solutus est. Hæc ibi.

Part. X.

Quoniam satis proposuisse videor, circumstantias ad primam Excommunicationis speciem seu gradum pertinentes, convertor ad secundum & majorem Excom. gradum, Græcis ἀνάθεμα, ἐξολόθρευσις, ἀφαισιμὸς, ἀποσυνάγωγον γίνεσθαι, *anathema, destructio, deletio, aposynagogum fieri*, Hebræis אָנָתְמָה vocatum. Quod à Radice in Hiph, usitata אָנָתְמָה *Anathemalizavit, excommunicavit, anathemati, internecioni devovit, Deo dicavit, mortem addixit, disperdidit, excidit, destruxit, ab communi usu sustulit, deducitur, & præter rem interdictam, devotam & prohibitam, significat excommunicationem, exclusionem, a sacro cœtu, ejectionem à synagoga, cum maledictionibus & diris.* Semovemus itaque, ut ante dictum est, vocis hujus denotationes, vel pro destructione totali alicujus rei ut execratæ & maledictæ,

dictæ, vel pro publicatione seu confiscatione bonorum, vel pro rebus devotis, dedicatis & à communi usu separatis ad ea quæ Dei sunt, vel denique pro ipsis personis proscriptis & perditis, & retinemus de *secundo* Excomm. gradu, quo quis, ob commissum aliquod facinus, & pertinacem in eo contumaciam, solenniter, in conspectu ecclesiæ, ex cœtu & communione antiqua, cum maledictionibus & diris horrendis atque ex lege Mosis excerptis, ejicitur. Causæ eadem ac in prima Excomm. specie; cum ea, ceu minor, semper transierit in hanc majorem, ubi nempe contumacia peccatoris id exigebat: quandoque tamen in delictis gravissimis, pro beneplacito Judicis, ab דרן mox initium factum. Hac specie Excomm. non certum præscribebatur tempus durationis ut ורר, sed quam primum resipiscerent absolvebantur. Status multo gravior & pejor erat תו. Nam præter tot horrendas execrationes, (quas in omnia hominis membra, quæ CCXLVIII constituunt, cum litera דרן tantum faciunt in numeris, penetrare dicunt Rabb: & ea consumere,) omnibus incommodis ad primam pertinentibus, additis etiam quibusdam

busdam gravioribus, subjectus erat, & fere
 totali consortio hominum privatus. Nul-
 lius enim consuetudine ei frui licuit, nec
 alicui adesse: non potuit alios docere, nec
 discere cum aliis, solus tamen potuit stude-
 re, ne doctrinæ suæ oblivisceretur: non
 conducere alios, nec conducì. Non saluta-
 bant eum, sed omni honore caruit, & a Sy-
 nagoga, conventibus & negotiis publicis,
 sacris & politis omnibus amotus erat: à
 templi tamen frequentatione prohibitum
 non autumo, quamvis vox *ἄπο συναγωγῆς*
 id innuere videatur; siquidem hæc, præter
 solennem illam significationem, qua pro
 templo seu cœtu sacro sumitur, denotet
 conventum publicum quemvis, ut pluri-
 mis exemplis declarari potest. Nemini
 cum eo licuit edere & bibere, vel ullum
 habere commercium, nisi quatenus ei ali-
 menta venderent & subministrarent; ne
 tamen & sic versari una in alicujus familia-
 ritate posset, tabernaculum seu tugurium
 quoddam exiguum confecerunt, ubi ci-
 bum ipsi exhiberent. Hæc Excom. non po-
 tuit fieri nisi à cœtu decemvirorum, potuit
 autem absolvi à tribus *הדיוטות* vulgaribus,
 vel ab uno *המומחה* *gravi & probato viro.*

Præter

Præter alias cærimonias, (quas omnes hic enumerare supervacaneum duco, cum & nimis prolixum foret, & eadem ferè sint cum ritibus in J^o adhibitis,) dum Exc. sententia alicui imponebatur, accendebantur quoq; candelæ, quæ finita maledictionis formula, repèrte extinguebantur, in signū quod talis Excom. luce cœlesti indignus sit. Hæc autem erat formula excom: N. damnatus seu devotus sit, ac anathema, atque execrandus habeatur, diræ atque imprecationes in eum, Juramentum in eum, atque sic remaneat Excom: seu separatus, & excom: J^o qua antea innotatus est, in majorem hanc transeat. Absolutio iisdem fiebat verbis solvendo sc. ea omnia, quæ ante in eum devovebant, ut enim J^o in omnia membra penetrare, sic *רחמים* misericordiam i.e. absolutionem, quod easdem habet literas & eundem numerum constituit, ea liberare existimarunt. Solent huc viri haud infimi nominis reducere phrasin *נכרת עמו* *exscindetur de medio populi sui*, quæ in s. sc. sæpè occurrit, quasi ea denotaretur secundâ Excom. species. Ego v. ista lubens prætereo, quandoquidem potius excisionem per vindictam Divinam, quam *cenfuram hanc Ecclesiasticam* significare existinem; præcipue quia (nullibi adhibi-

ta secunda persona *exscindes, exscindetis*)
Deus hanc pœnam sibi reservare & vindicare videtur.

Part. XI.

EXigit methodus recepta, ut hoc loco, de *tertia* seu *ultima, maxima & gravissima* Excom. *specie & gradu* verba faciam. Vereor ne majora quam sustinere valeam susceperim, & vix, inter tot devia, semitam ad veritatis aulam ducentem, me reperturum, audeo polliceri; cum nullum quantum hactenus mihi cernere licuit, in argumentis pro ternario numero exhibendis, præeuntem habeam, sed altum apud omnes silentium. Siquidem vero eum semel defendendum assumerim, malo vires ingenii periclitari, quam fidem datam violare & qualia ipse formare, atque ex verbis aliquibus doctissimorum virorum, tot esse Excom: species statuentium, elicere possim, levia argumenta B. L. exhibere. Si tanto oneri succumbam, spero id mihi non vitio verti, in magnis enim tentasse fateor. Id omnibus viribus agit inter alios præcipuè Cl. Seld: ut ternario numero destructo, binas tantum esse Excom: speci-

es affirmare queat, in cæteris validum satis
 fundamentum in scriptis Talmudicorum
 se habere putans, Adducam aliquot exem-
 pla ex iis. Talmud Moed Katon(π) sic habet
 Domus trium iudicum, qui schammatizarunt,
 non veniunt postea alii tres Iudices & solvunt
 eum, scil. ex anathemate schamatha. Ibidem
 hæc inveniuntur. Quidam lanio fuit, qui
 profanè contempfit R. Tobiam: præfecti sunt
 ipsi Avai & Rabba, ⲙⲙⲟⲩⲓ & excommuni-
 carunt ipsum. Tandem abiit lanio iste & placa-
 vit sive contentum reddidit adversarium suum.
 Tunc dixit Avai: quid ergo nunc faciendum?
 etne solvendus ex excommunicatione? si non
 mansit super eum excommunicatio per triginta
 dies, non est solvendus. Nedarim (ρ) Uni-
 eus probatus potest solvere excom. schamata!
 In hisce sermonem esse de communi &
 simplici Excom. censer, quandoquidem
 dicatur Excom. liberari posse à sua Excom-
 municatione. Hujusmodi sunt, atque alia
 nonnulla, ceu in ejus scriptis cernere licet,
 quæ eum movent ut pertinaciter conclu-
 dat Videm cum ð esse, nec aliquid ab ea di-
 versum. Nos autem hisce relictis a Cl. viro
 dissentimus, & tres species seu gradus ex-
 com. esse omnino asserimus, quorum ultia

C 3

ⲙⲙⲟⲩⲓ

(π) fol. 16. 1. (ρ) fol. 8. col. 2.

mus & gravissimus nomine נחשׁו apud
 Rabb. venit, & exponitur à Lexicographis
 Latine per *anathema, excommunicationem, rem sacratam Deo vel Divino usui,*
gravissimam à societate hominum, Ecclesia
atq; Republica excommunicationem. Qua
 homo, post omnia humana media adhibi-
 ta, in impietate sua contumaciter persi-
 stens, totaliter & finaliter, soli iudicio Divi-
 no destinabatur, ut eo periret, nec amplius
 ad Ecclesiam rediret, & cum ea recon-
 ciliationem inire nequiret. Quia hæc
 vox natales suas debet Rad. Chald. נחשׁו
excludere, expellere, separare à commu-
nitatem & societate hominum, à Republi-
ca, ab Ecclesia, totaliter & finaliter, & quasi
à vitæ communionem, ut Dei iudicio commis-
sus, à reconciliationem hominum sit exclusus.
 Reliquas hujus vocis originationes, quæ
 variæ sunt præterea, sic quibusdam וׁ vi-
 detur esse compositum à נחשׁו דו *Dom-*
inus venit. Nonnullis à נחשׁו דו *desola-*
tio erit, quam fundari volunt in isto Jer. 25:
9. Depopulabor seu destruam eos, & ponam
eos in desolationem. Aliis à נחשׁו דו
ibi mors. De hac sic in Moed Katon (σ)
 Quid est Schamatha? dixit Raf; dicitur qua-
 (σ) fol. 17. col. 1, si

ⲉⲛⲓⲛⲓ ibi est mors. Et Samuel dixit, ⲛⲓⲛⲓ *desolatio erit*, quæ proderit ipsi sicut pinguedo fornaci calenti. Rab. Sal. Erit ⲓⲛⲓⲛⲓ sicut pinguedo illita fornaci, quæ absorbetur nec unquam ex ea egreditur, sic quem schamatizamus perditus est &c. Hæ etenim magis sunt allusiones ad vocem quam genuinæ *ἑτυμολογίαι*. Ea tamen non est mea mens, cujusvis manibus hac specie (quanquam gravissima) excom. vitam fuisse expositam, & cuilibet eum è medio tollere licuisse, etsi me non lateat Excellent. Buxt. id intendere. Ne cui detur occasio dicendi me multa promississe, at pauca præstitisse, proferam argumenta quæ pro recepta sententia militare videntur. (N) Non quidem inficias eo ⲓ & ⲛⲓ invicem alternari & ⲛⲓ pro ⲓ sæpe in libris Rabb. positum esse at hoc inde provenisse reor; quod ⲛⲓⲛⲓ (undè descendit ⲛⲓ) præter finalem & totalem ex cœtu atque ecclesia exclusionem, æquè ac ⲛⲓⲛⲓ simplicem quamvis separationem & execrationem denotet, & generaliter in Chald., non secus ac ⲛⲓ in Hebr. lingua, pro quavis re sacrata & dicata Deo, atque omnibus excom. speciebus, usurpetur; evidens hoc fit vel ex eo quod quandoque etiam pro ⲛⲓ scriptum

extet. An tamen eapropter maxime distincta esse non possint, quum meridiana quoque luce clarius sit, in Rabb. scriptis ut plurimum verba sensus cognati, licet interim diversi, se invicem permutare. Maxime itaque dubitare licet an unquam Rabb. ו' idem cum ד' esse intenderint; clarissime quippe ipsi pronunciant ו' esse gravissimam speciem excom. R. Salomon [τ] Sapientem qui foedum quid commiserat adjudicabant ad flagellationem, & non ad excommunicandum ipsum, propterea quod schamatha est res gravissima, & rationem habebant honoris legis Divinae. Et alibi, Quem schamatizamus nunquam ex eo egreditur amplius. Rab. Alcher (υ) Non schamatizamus aliquem nisi propter rem gravissimam. Glossa Salom Jarchii. In totum consumitur is, quem per ו' excommunicant, quia non evadet in aeternum. Optime hic quoque allegari potest locus ex Cholin: Isti lationes Hutzalenses stant in ו' Excom: R. Chafda his viginti duobus annis. Quid juris porro est? num dicendum quod non ulterius excommunicamus illos? i. e. non relinquimus in excom: Cum exinde manifestum fiat ו' non continuo idem esse ac ד' sed longe diversum: quis enim unquam in excom. ד' ultra 30, 60, vel ad summum 90 dies mansit. (2) Leve ad-

(τ) Talm. Pesachim. fol. 52. col. 1. modum

(υ) Tosaphz. Pesach, fol. 139. col. 2.

modum atque stramineum est argumen-
 tum adversariorum formatum, ex iraposi-
 tione excom. Ψ ob easdem causas cum Δ in
 Comment. Rabb. Ex. gr. in Cholin (Φ).
 Hic Sacerdos non separans (de oblationibus ma-
 &atis) dona (pro sacerdote alio) dignus est, ut
 sit in Ψ schamata. Pesachim [χ] Qui vespere
 Sabbathi & aliorum dierum festorum operas serviles
 facit, infaustum illud quidem est nec videt signum
 benedictionis, sed non Ψ schamatizamus eum:
 At qui vespere Paschatis operas serviles facit, omni-
 no Δ schamatizamus eum. In Sulchan
 Aruch (ψ) Qui habet querelam, aliquam de pro-
 ximo suo, & tradit ipsum Regi vel Judici. Scham.
 ipsum. Moed Katon. Si non obtemperat
 Judici, i. e. si sit rebellis. Scham. ipsum,
 Hæ, Causæ sunt Excom: Nid: & tamen
 adhibetur hic Ψ . At hæc ullam injicere
 remoram nequeunt; nusquam enim a-
 pud, Rabb. aliæ assignantur causæ ha-
 rum reliquarum Excom: specierum scil: τ &
 η & ψ præter illas in Niddui enumeratas.
 Ubi etenim peccator hisce prioribus
 speciebus Excom: se ad bonam frugem
 nec reciperet, nec animum mutaret, sed
 consulto, omni abjecta verecundia, in

C §

pra-

(Φ) fol. 132. col. 2. (χ) fol. 50. col. 2.

(ψ) parte fore dea, num. 334. sect. 44.

pravitate perstaret, & ad finem vitæ se perseveraturum monstraret, nec ulla magis media humana valerent, & delictum esset grave, legique divinæ contrarium, eum a suo cœtu, Republica, ecclesia, uxore, liberis, omnibus societatis humanæ juribus, legibus, officiis & commerciis, plane, totaliter, & finaliter, exterminarunt & extruserunt, judicio divino commiserunt atque ad extremam desolationem condemnarunt. Hæc illa tertia & gravissima Exc. species est quæ *U* nōinatur.

(3) Adversarii propria sua vineta cædendo, produnt quam firmis hæc eorum opinio innitatur talis. Sic Seld: qui caput est, plurimis in locis ipse hæsitat, quod Confirmant satis hæc verba ejus de schamatha prolata (*ω*) Certe pœnam cœlitus seu Divinitus, seu à Domino expectandam, sive mortem, sive siliam dum in excom: usurpabatur significasse certum est. Alio in loco item fatetur *U* idem cum *I* esse, sed majores & graviores sibi adjunctas habuisse execrationes. Nescio ego quid sit quod Cl. viro constituat differentiam specierum Excom: nisi faciant Execrationes, prout

(*ω*) lib. 7. de synedriis.

prout enim hæ accreverunt, ita semper
 augebatur Excom: gradus & mutabatur
 status. (7) Nec tantum est hoc eorum
 argumentum, ut assertum nostrum vel
 paululum infringere valeat: quod scil:
 dicant, inauditum esse apud Ebræos, Ex-
 com: gradum aliquem usitatum fuisse,
 a quo nulla fieri posset absolutio, cum
 contrarium omnino, plurimis exem-
 plis ex Rab: scriptis petitis, demonstrari
 possit. In libro Tanchuma (a) Esra, Soro-
 habel, & Jehosua congregarunt universum Cœ-
 tum populi in Templum Dei, ומגדן ומחורין
 ומשומן & excommunicabant & anathema-
 tizabant & Schematizabant Cuthæos per schem.
 hamphorasch & per scripturam Divinam scri-
 ptam in Tabulis legis, & per anathema domus
 Judicii superioris & inferioris, ut non com-
 edat ullus Israelitarum panem Cuthæorum. Unde
 statutum: quicumque comedit panem Cuthæi
 perinde est ac si comederet carnem porci &c,
 Jam vel parum in rebus Philologicis &
 Historicis versatus apprimè scit, quam ex-
 tremum odium fuerit inter Israel: Hiero-
 sol: ascendentes, & Samaritanos, qui &
 ædificationem templi & urbis Hieros.
 impedire omni nisu conati sunt, ita ut
 plane

(a) sect, דש"י fol. 16. col. 1. & 2,

plane absolum sit statuere eos unquam de absolute horum vel minimum in animis habuisse, quum etiam verba allegata omnes species recenscant & clarè innuant Israelitas plane & totaliter Cuthæos e societate sua expulisse. Præterea hujusmodi excom. speciem in usu fuisse apud Hebræos evincit ejus usus in primæva ecclesia Apostolica quæ suas Excom: omnino ex hisce derivavit. (7) Separatim adeo & distinctè apud Rabb. enumerantur omnes hi tres Gradus ut ex Exemplo superius à Tanchuma adducto evidentissimū est, possem centena similia adducere, sed non videtur e re esse. (8) Hi tres gradus fundantur in sc: S. & clarissime recensentur atq; præcipiuntur Matth. 18:15, 16, 17. plurimisque aliis locis in N. Fœdere. Hæc si quis accurata lance ponderaverit, facile, nos veritati appropinquasse, fatebitur.

CAPUT TERTIUM.

Particula Prima.

ANtequam supremam manum huic opusculo imposuero, brevissimis, quando ceperit excommunicationis usus inquiram. Pars doctorum eam mox cum primordiis rerum extitisse & Divinitus institutam atque

que injunctam volunt. Principium Excom: dedisse Satanam è cœlesti Palatio expulsam dicit Marius Alterius, (β) nec solum principium, sed sententiam quandam ipsum effectum inquam retruduntur quotquot sunt excommunicati. Traduntur enim Satanæ excom: vinculo percussæ. Rabbinæ exemplum & institutum excom. petunt inde ab Adamo & fundamenti loco substernunt verba (γ) וישלחוּוּ sc. Adamum יחיה אלהים מזו - עדן לעכר את - האדמה יחיה אשר לקח משם ויגרש את - האדם: Tem- pus autem durationis ex Gen. 5: 3. Sic enim inquit Rabbi Jeremiah ben Eliæzer (δ) Omnibus istis annis quibus fuit Adam, homo primus in excom: genuit spiritus, Dæmones & Lamias, sicut dicitur, & vixit Adam triginta & centum annos genuitq; ad similitudinem suam juxta imaginem suam. Non omnino usq; , ad tempus illud genuit quenquam in similitudine sua. Et ne quid desit huic sententiæ suæ astruendæ, fingunt, Adamum, viso se mortis reum esse, in jejunio mansisse per annos 130, ab uxore item separatum per 130, & per totidem annos aptasse cingula ficulnea super carnem suam. De ejus Pœnitentia & absolu-
tione

(β) lib. 1. Disp. 2. cap. 6.

(γ) Gen. 3: 22. (δ) in Glossa Talmud, ad
vic. Erubin, fol. 28. col. 2.

alone in Pirke Rab. Eliafer sic scribitur.
 Septimane feria prima, ingressus est Adam aquae
 Gihon superioris donec pertingerent aquae ad col-
 lum ejus & afflixit se seu jejunavit septem hebdo-
 madibus usque dum factum est corpus ejus instar
 cribri. Dixit Adam coram Deo O. M. Domine u-
 niversi mundi transeat quae so peccatum meum
 a me, & recipe poenitentiam meam, ut discant
 omnes aetates quod sit resipiscencia & quod sus-
 cipias resipiscenciam convertentium se. Tunc
 autem D. O. M. ostendit dexteram suam atque
 removit ab eo peccatum ejus, & recepit con-
 versionem ejus. Producitur a nonnullis ad
 stabiliendam antiquitatem excom. Male-
 dictio Caini ob eadem fratris atque eje-
 ctio ejus ut exulis & profugi, ex verbis
 (e) *עֲרֵץ מֵרוֹז* Cum Execratione
 Baraki in Meroz: de qua Jud. 5: 23. Hinc
 omnem ritum Excom. deducere volunt
 Talmudici ut patet ex Gem. Babylonia (z)
 Nec desunt, qui, de ortu non solliciti, tantum
 tres gradus Excom: sumtos a tribus impuri-
 tatis speciebus, quae populum Dei, exclus-
 erunt tribus castris; quum proportio inter illorum
 gradus obtineat, opinantur. *Niddui* juxta men-
 tem eorum comparatur exclusioni extra Castra
 Dei, quae obvenit contrectatione cadaveris pol-
 luti.

(e) Gen. 4: 12.

(z) *ad ist. Moed Katon cap. 3, fol. 16, col. 1.*

luci. *Cherem* Exclusioni extra castra Levitarum, quibus ejecti, qui immundi erant profluvii. *Sebao matha* Exclusi: extra tria Castra, Dei, Levitarum, Israelis, hac animadversum in illos, quos lepra immundos reddidit. Saniores Philologi, forenses esse & ex pactis hominum, demum tempore captivitatis, inventam, uno ore proclamant: quibus & ego pollicem premo. Suffulta est hac opinio seqq. rationibus. (N) In sc. s. & libris Judaeorum ritualibus, ubi omnes poenae in lege fundatae enumerantur, nusquam ante captivitatem, Excom: usus comparet, quod sine dubio fieret, si in usu tum fuisset: mox autem post captiv: Babylon: expressa ejus mentio fit. *Ezdrae* 10:8. &c. (D) Tria illa nomina notissima, quibus designari solent, in s. sc. & Libris Rabb. ante captivitatem, eam, quam jam habent significationem, non obtinebant (3) Neque necessaria fuit Excom: quamdiu sui juris essent Israelitae, & synedria eorum potestatem, juxta legem sacram & mores receptos, sive plagis, sive multa, sive morte, plectendi immorigeros, haberent. Judiciis autem eorum publicis abrogatis & in nihilum redactis, omnino debuerunt aliquid consilii capere: unde, ut erant legum sacrarum & morum avitorum tenaces, quamvis poenarum executione carerent, tamen ad suam existimationem inter gentes sustinendam, patriosq; mores conservandos, ex pacto agebant, ut facinorosos, quos ob defe-

ctum

Cum potestatis pœnis forensibus coercere non
 potuerunt, maledictione atq; vindictæ Divinæ
 imprecatione cum separationis seu pristinae in
 consortio libertatis deminutionis ignominia,
 i. e. excommunicatione punirent, ut ita casti-
 gati vindictæ Divinæ metuentes & pudore in-
 ter suos suffusi in bonam mentem redirent, atq;
 per absolutionem velut purgati reciperentur
 (7) Rabb: plurimi, usum excom: temporibus
 captivitatis tribuunt, quamvis adducant exempla
 ex S. Codice, quæ loco fundamenti habent, ut
 execrationes suas licitas esse inde eliciant. Uni-
 cum tantû ex iis producam Eliam ben Mosen Ka-
 ræum, qui sic inquit: " Atque ita conveniens erat ac
 " necessarium in Tempore captivitatis, ut si quis
 " in se non reciperet verba legis aut verba sapien-
 " tum, quæ eliciuntur ex ipsa legis vi, eum ponere
 " in Cherem & in Niddui & separare eum ab ec-
 " clesia seu universitate Israel ex decreto sapien-
 " tû, qui præfecturæ qualicunq; juridicæ tunc præ-
 " fuere. Et ecclesia seu coetus universus seque-
 " bantur & libenter recipiebant decretum sapien-
 " tum in tempore, ejusmodi per omnia secula. ,,
 In ea sententia quoq; est Hugo Grotius, cujus
 verba huic opellæ finem faciant. " Sed ea (ex-
 " com: genera) crediderim tempore captivita-
 " tis usurpata, cum jus vitæ & necis penes Per-
 " sas esset, atque iterum cum capitalia judi-
 " cia ad Romanos devenissent. Nam in lege nul-
 la

" Ja eorum posnerum mentio , neque in veteri
 " Historia populi illius. Verius ergo est, Ne-
 " hemiam gravibus verbis etiam cum ira Dio-
 " vine comminatione usum in istos legiripar.
 Hac B. L. de Excom. Vet. Hebr. tecum com-
 municare placuit, fuissent adhuc plurima cir-
 ca hanc rem enodanda, quoniam v. brevitati
 litare animus est, sufficiant hac. Tuum est ju-
 venilem hunc laborem boni consulere &
 bene interpretari.

הללו את - יהוה כל - גוים שבחורו כל -
 האמים: כי זכר עלונו חסרו ואמת - יהוה
 לעולם הללו - יה:

F I N I S.



Ad Lectorem,

De

ERUDITA DISSERTATIONE

Viri Juvenis,

Natalibus, Doctrina & virtutibus Orna-
tissimi & Pereximii

Dn. JOHANNIS
PHELMANNI

Sanguine & amicitia sibi conjunctissimi.

Cur ratione tripla, triplici ratione la-
bantes,

Devotos Auctor, en tibi Lector,
habet:

Sunt tria, quae tuis is felici Marte re-
legat,

Otia, scire nihil, vitaeque more
mala.

Hae, labor, ingenium, pietas sincera, re-
pellunt.

Pergito victricem cingere laure co-
mam!!

gratulabun. tu. scripsit

DAN. JUCLENIUS